

irregularis efficietur. Constat ex cap De qui-  
bus. extra de Baptismo, & eius effectu. vbi  
definitum est, solū licere sub conditione bap-  
tizare, quando dubium fuerit, sit ne paruu-  
lus, an non baptizatus. Ex quo colligitur im-  
eptissimē facere Curatos, paruulos rebapti-  
zantes, quādo de priori Baptismo non est du-  
bium. Si vero re diligenter perquisita, fue-  
rit dubium, utrū sit baptizatus, sub conditio-  
ne baptizetur [aliās non] dicendo, si non es  
baptizatus. Ego te baptizo in nomine Patris  
& Filij, & Spiritus Sancti. Amen. cap. De  
quibus. De Bap. & eius effectu, vbi dicitur.  
De quibus dubium est, an baptizati fuerint  
baptizentur his verbis præmissis. Si bap-  
tizatus es, non te rebaptizo, sed si nondum  
baptizatus es, Ego te baptizo in nomine Pa-  
tris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen. Sco-  
tus in. 4. dist. 3. q. 2. infra. K.

¶ Et aduertat Indorū Parochus id, quod do-  
cet Scotus in. 4. d. 6. q. 5. ad secun. argum.  
q̄ est discrimen. inter ebriosum, & ebrium  
Ebriosus dicitur, qui est assuetus ad ebrieta-  
tem, & iste non semper est ebrius, quia non  
semper impeditus est ab actu rationis, ebrius  
vero dicitur, quādo totaliter impeditur eius

ratio